

secta cum premissis erroribus dampnata est in concilio Vienensi, prout habetur¹⁾ in Clementina, que incipit *Ad nostrum*, de hereticis.

(12) Item queratur a qualibet, an cum aliis sororibus ex proposito ad unius *coloris*²⁴²⁾ *forme* vel *scissure* conformitatem in *peplis*, mantellis, et *tunicis* studuerit aut studeat se vestire.

(13) Item an unquam in *signum confraternitatis crucem* in *habitu* detulerit aut deferat; et si dicat quod sic, queratur, qualiter et a quo et ad quem finem huiusmodi crucem assumpserit.

(14) Item an *congregaciones et conventicula* certis in locis ad hoc forsitan deputatis et certis anni temporibus cum aliis Beginis consueverit *facere*; et si dicat quod sic, queratur ab ea, quid in huiusmodi congregacionibus fieri aut tractari consueverit.

(15) Item an cum aliis Beginis in *communi per modum collegii seu conventus habitaverit* vel habitet.

(16) Item an aliqua sit *superior* vel *magistra* seu martha inter *ipsas*.

(17) Item an *diebus sabat(i)* vel aliis huiusmodi *superioribus aut magistris* vel *sibi invicem mutuo delicta sua confiteri et a dictis magistris in oracionibus et plagis, que dicuntur* secundum eas *discipline, penitencias recipere* consueverit.

(18) Item an aliquam Beginam ob hoc, quod *ritus predictos non observavit*, sciat aut viderit a consorcio aliarum vel de *hospiciis eici vel repelli*.

(19) Item an *absque neccessitate, licet* sit vel fuerit *fortis ad laborandum*, unquam *publice mendicaverit* vel aliam talem sic mendicare sciverit, viderit, aut audiverit.

(20) Item an unquam *ab aliquo religioso receperit eucharistie sacramentum, non habita super hoc presbyteri parochialis licencia speciali*; et si dicat quod sic, queratur, a quo et^{m)} qua auctoritate.

(21) Item expedire videtur, ut queratur a qualibet, an habeat vel habuerit vel sciat habentem quendam librum theotunicum, qui intitulatur „De novem rupibus“ — vulgariter dicendo; dz *bûch von den nûn feilsen* —, in quo dicuntur multa fidei katholice dissona contineri²⁴³⁾.

Cetera secundum qualitates personarum et exigenciam responsionum aut alias circumstancias supleat pericia examinantis.

1) habetur *doppelt* W m) hec W

²⁴²⁾ Die Fragen 12—20 beruhen auf dem „Prozeß“ Bischof Lamprechts; vgl. oben S. 173 f. Zu Frage 12 vgl. auch oben Frage 5.

²⁴³⁾ Dazu vgl. ausführlich oben S. 118 ff.